



- 1 Heyden s. Joh. Huld. / diff. de Statore  
 Lurpiorum inenarrabilium Halle 1724
2. Hitzig s. Andr. Adr. diff. II. de unitate  
 Dei et von der wofflantz. tubinga 1737.
3. Hochstetler s. Andr. Adami / theses.  
 theologie tubinga 1704.
- 4 ————— diff. de hominibus et natura  
 Leib, tubinga 1711.
- 5 Hofmann s. Car. Gott. / diff. de  
 cultu imaginum relativis, Wittenb.  
 introductio in Lectio[n]em  
 Epistole pauli ad Colosseos, Wittenb.
- 6 ————— diff. de vera et falsa pedila.  
 vij Christi imitatione, Wittenb. 1740
- 7 ————— diff. de discrimine fidei  
 divina et humanae, 1739. 7
8. ————— s. Paulus / diff. de mutatione  
 spiritus in Christiano  
 Hank. 1727.

10. — Hoffmann f. Godofr. / diss. de pro.  
videntia divina tubingae 1717.
11. Hoffmann f. Godofr. / diss. de creatione  
tubingae 1719.
12. — diss. de pontificiorum erroribus  
circa doctrinam de scriptura S. tubingae
13. Hoffmann f. Leonh. / explanatione <sup>1722.</sup> comatus  
quod habetur psalm. 11. v. 7. iude 1726
14. — diss. de summo Hebreworum  
sacerdote, ante diem expiationis  
adjurato iude 1734.
15. Holtzbus f. Barth. / diss. de Evangelio  
francof. 1706.
16. Hottinger f. Joh. Jac. / diss. de veritatis  
et charitatis connubio, tubingae
17. Jablonowski pauli <sup>1721.</sup> / diss. de confessione  
Evanuelicis francof. 1726.
18. Jacobi f. Dan. / diss. de Christo  
tamquam summo fidelium bono
19. Jäger f. Joh. Wolff. / nova purgatio  
animae post mortem ex cocta in  
cerebro de m. Resurrectione, et porret  
tubingae 1716.
20. — diss. de practio redemptionis  
per Christum, tubingae 1716.
21. — nullia de cons. Euseb.  
pietatis mysticae

- 22 Jager s: Joh. Wolff: s: examen quietissimi  
tubinge 1710.
- 23 —— diff. de actu Christianissimi  
tubinge 1708.
24. —— Sylloge factitiana controversiarum ex theol. universitate  
tubinge 1708.
25. —— diff. de Labadijma tubinge  
1710.
26. —— diff. de fundamēntis papatius  
tubinge 1708.
27. —— diff. de oratione mentali  
vocali et passiva tubinge 1714.
28. —— diff. de separatiōne hodie  
no, tubinge 1715.
29. —— diff. de facere Legali  
cum Adamo iniuste tubinge
30. —— diff. de novitio dogmate  
transsubstaniatio[n]is quod Romana  
Eccl[esi]a introduxit tubinge 1710.
31. —— diff. de cultu dei in V. T.  
per sacrificia varia  
tubinge 1713.

*H. 2*  
Exuv tū Θεώ.

EXERCITIA PHILOSOPHICO-THEOLOGICA  
DUO, HORIS FERIATIS ELABORATA.


UNUM  
DE UNITATE  
DEI,  
ALTERUM  
DEBAPTISMO INFANTUM  
NON DUM PLANE ET INTEGRE  
IN LUCEM EDITORUM,

Oder  
**Son der H o f h - Gauſſe  
unvollkommen gebohrner Kinder.**

AUCTORE  
ANDR. ADAM. HITZIGIO.  
P. T. VIC. MINIST. DURL.

---

TUBINGÆ,  
Typis ANTONII HENRICI ROEBELII  
A. MDCCXXXVII.



DÉDICATION

A SON EXCELLENCE MONSIEUR  
LE BARON D'UXKUL,  
CONSEILLER D'ETAT PRIVE, ET PRESIDENT DU CON-  
SEIL DE JUSTICE DE SON ALTESSE SERENISSIME  
MONSEIGNEUR LE MARGGRAVE DE BADE  
ET D'HOCHBERG. &c. &c.

MONSIEUR!

**V**Oici qu'il se presente devant les de *Votre Excellence*, une piece, dont l'Auteur ne se croit jamais plus hereux que quand il saura s'acquerir la grace d'un Ministre aussi qualifie & en même tems religieux, que *VOUS*. Je n'oserois neanmoins jamais y penser, *MONSIEUR* puisq' etant d'un Gout & d'une pointe d'Eprit exquise, *VOUS* ne sauriez aimer, que les choses qui sont d'une perfection rare & singuliere, si je n'etois en même tems persuadé, que *Vous* etiez non plus accoutumé selon une bonté qui *Vous* est naturelle d'accepter la sincerité de l'ame au lieu des services qui ne sont pas dans le pouvoir des foibles,

## *DEDICATION*

foibles, & selon, *Votre* lecture dans les sciences, d'ap-  
profondir aussi les matieres de la sainte Theologie.  
C'est ce qui est la cause que je m'estime indigne de  
*Votre* grace, & que neanmoins d'autre part, je prend  
l'hardiesse de *Vous* dedier treshumblement cette peti-  
te piece. Ce sont les fruits des heures lesquelles je  
n'aurois seu mieux employer, qu'en les portant à *Votre*  
service. Je *Vous* supplie *MONSIEUR!* de les regarder d'  
un oeil gracieux, & de rendre heureux de *Vos* faveurs,  
celui qui sans cela se croira malheureux, & qui ne  
cessera pas prier Dieu, qu'il *Vous* comble avec toute  
*votre* illustre Maison des biens eternells, etant avec  
profond respect

# **MONSIEUR! DE VOTRE EXCELLENCE**

Dourlac ee XVmo  
de Dec. 1736.

le tres humble & tres  
obeissant Serviteur  
**A. A. HITZIG.**

PRÆFATIO

REVERENDO JUVENI

DN. ANDREÆ ADAMO  
HITZIGIO,

MINISTERII DURLACENSIS VICARIO.  
LONGE VIGILANTISSIMO

ISR. THEOPH. CANZ.

P. P. O. TUB.

S. P. D.

Quas, clarissime juvenis ! ad me, quem  
de facie nondum nosti, nec forte,  
apud exterios ut cognosceres, idoneam  
satis reperisti caussam, misisti litteras; quibus &  
plagulas hasce, uti redeentes adspicis, typis evul-  
gandas curarem, hortabare, & simul epistolam  
eis comitem adjungere ne gravarer, maximo ro-  
gabas opere : easdem ego, ut opportune accepi;  
ita, ferreus sim, nisi condigna respondeam huma-  
nitate. Quamvis enim id, quidquid est, negotii,  
in tua, <sup>ni</sup> fallor, patria, facilius expediri, aut ejus  
certe cura, aliis, mei similibus, vel sexcentis viris,

X

à TE

## PRÆFATIO

à TE potuerit committi : non ero tamen is, qui ,  
quam ob rem, me, præ reliquis, huic operi ad-  
movere statueris, curiosius anquirere studeam.  
Me mea tibi, quam omnibus, ideoque & igno-  
tis, debeo, obsequendi devincit voluntas. De  
laudibus, quas mihi tribuisti, cur ego læter, cum  
amoris potiorem , quam veri duxeris rationem,  
causæ prorsus est nihil. Fuerint enim, quæ  
scripsisti, si ita placet, animi genuina sensa ; quod  
ego ita esse, quia optabile est, tantisper credam :  
tamen, quid de me Tu, de ignoto ignotus, sen-  
tias, haud paulo minus, quam quid in me ipse,  
à quo exuli esse non licet, reperiam, pensi habere  
fas est. Illud forte jam à Me agi , æquum fu-  
erit, ut Te, quem argumentorum, tam gravium  
explicandorum, generosior cupidо incessit, lau-  
dibus deprædicem dignis. At meam potius de ar-  
gumentis, quæ fuisti persecutus, sententiam, plus  
desideras. Occupasti sane in illa permultum : ac-  
eipe tamen, ni gravate fiat, nonnulla, ut capit  
angustia chartæ , brevissimis. Unitas primo  
DEI, (hoc enim tibi propositum est) demonstranda  
erat. Subjiciamus menti supremi Numinis ideam.

Dominus

*PRÆFATIO*

DEus dicitur, quem omnibus, quæ cogitari à quoquam possunt, coëuntibus animi ornamenti, sine gradu resplendescem, internoscas necesse est. Fac, si delirare libet, duos, pluresve DEos, exsistere colendos : qui aut omnes omnia animi ornamenta ex æquo habebunt : aut nonnullis nonnulla cogitatione detrahenda erunt : tum, quos uno, alterove spoliatos ornamento, finxeris, iidem non erunt amplius Dii. Habebunt igitur, si plures sunt, omnes omnia, quæ figurari possunt, animi decora. **Quantum** in uno ornamenti est, tantum, nec pauciora, ne si à minimo discesseris, sibi vendicabunt reliqui omnes: aliter in uno quoque non essent omnia: **quod est DEum comminisci non DEum,** Qualia deinde *unius* decora dixeris, **talia**, ne in minimis destincta, reliquorum omnium agnoscas oportet: *Ubi enim à perfectissima virtute virtus vel latum quidem unguem recedit; id, quo receditur, defectum, à DEO omni alienum, affricet ne cessé est.* Plures igitur si Dii sunt; tum perfecte similes, nec, ex tantillo, discernendi sunt. Jam, quid

## *PRÆFATIO*

quid loquamur, dispiciendum est. Num, quæ perfectissime similia sunt, distingui à se mutuo possunt? Minime verò! Atqui, quæ discerni nequeunt, **unum, non plura, exhibit.**

Eadem adpellamus, *que sibi invicem possunt substitui, salvis omnibus, que cogitare licet, utriusque prædicatis.* Si duo autem perfecte similia fingas; diversa non habebunt prædicata: idcirco, quo minus sibi mutuo surrogari queant, salvis omnibus, atque, eo ipso, rem eandem constituant, nihil omnino obstat. *At perfecte similia, inquis, bis forsan exsistere possunt, suo quodque distinctum loco.* Ridemus eos, qui magorum orientis, Christum adorantium, cadavera, & Mediolani, & Coloniæ, ideoque bis exsistere, contendunt: an, quod in aliis absurdum judicamus, singularis perspicaciæ, cumprimum à nobis affirmatur, specimen erit? Evidem omittam illud, *singulos DEos, si plures sunt, omnipræsentes esse; nec proin loco posse distingui:* illud addam, naturæ mysterium non omnibus cognitum: *quidquid è loco in*

## PRÆFATIO

in locum migrat, sūi , respe&tu prioris loci, fieri dissimile : & quidquid distin- &is continetur spatiis; aliud ab alio probari posse intrinsecus diversum. Quæ qui ænigmata non capit; à se is, physicæ & pnevmatologiæ do- gmata accuratioris, ne primis quidem degustata labris , haud obscure significat. Vid : pro unitate DEI argumenta ordinaria Steinwehrio in in peculiar. diff. refutata , cum hoc tamen refelle- re non potuerit : quod & celeb. Gottsched in den ersten Gründen der Weltweisheit / attingit.

De baptismo autem, quid sentiam, in ea, quam tu proposuisti, quæstione : paucis expro- mām. Inevitabili necessitate, cum hominum sa- lute baptismum non conjungi, partim femellarum Veteris Testamenti, circumcisione destitutarum; [explevit enim hæc baptismi locū] partim embryonum, quorum Christianæ matres, gladio ante trajiciuntur, quam sunt enīxæ partum, pro- cul beatæ immortalitatis spe, nullo modo dece- dentium, condocefaciunt exempla. Sanctissi-

( 3 ) num

## PRÆFATIO

mum baptismi ritum, nisi ferrea urgeat necessitas,  
*non autem urgere paulo ante dixi, infantibus, non-*  
dum plene in lucem editis, eo, quo sunt situ, ve-  
recunde satis adiplicari non posse: pudor, qui ca-  
stis sacra manibus, mentibusque, tractanda esse sua-  
det, locuples, si audire volumus, testis est.

En vero tibi argumentum, quo & embryones,  
quicunque sint, in spem venire salutis, probes,  
omni, ni fallor, dubitatione sublimius: *quidquid*  
*Adamus, omnium sator, statorque, in universo ho-*  
*minum genere, perdidit: ei mors Christi, reparato-*  
*ris divini; nisi in singulis nova culpa intervenie-*  
*rit, adiplicat remedium.* Non heic parentum,  
embryoni proximorum, culpa nocet, gratiae ad-  
plicationi: parentum enim culpa particularis est,  
qua ad restringendam universalem, ex morte  
Christi proditaram, in homines quoslibet, ten-  
denter benevolentiam, minime valebit unquam.  
*Ut sua quisque servabitur fide justus: sic sua quivis*  
*peribit contumacia parum justus.* Si fructuum  
mortis Christi, embryonibus adipicandorum,  
opportunitatem, parentum intervertit pravi-  
tas: triste fatum, infantum respectu, idem erit,

ac

## PRÆ FATIO

ac si mors servatoris ad illos pertinuisset nunquam. At vero pro embryone Christus ita mortuus, ut alienam Adami elueret culpam, non, ut alienam denuo culpam, medicinæ contrariam, admitteret: quare *vel ethnicorum infantes damnari, licet baptismum non consequutos,* vehementer miror, quî theologis potuerit non-nullis venire in mentem. Si, quod ajunt illi ipsi, qui *ethnicorum infantes perire contendunt;* imo ipse confirmat Christus, Matth. 28. v. 19. *fidei scil. detractionem, obstare saluti:* verum est: quî, quæso, vel ethnicorum infantes, vel Christianorum embryones, sine baptismo, perire possunt? cum illis fides à Christo oblata nunquam sit: cui, si applicata fuisset, per infantilis naturæ teneritudinem; consultâ, destinataque, i. e. fatali contumacia, resistere potuissent nunquam. Trita adversus reformatos vox est: *ob fidei defecum, quibus fides non fuerit oblata unquam, damnari juste neminem, sed de his alibi plura.* Vid: si placet, celeberrimorum virorum, ZEIBICHII, & MOSHEMII, dissertationes peculiares de *fide parvulorum hujus generis, & WALCHII Gedan-*  
cen

## PRÆFATIO

den von dem Glauben der Kinder in Mutterleib.  
Meminisse liceat, me epistolam, non disputatio-  
nem, concinnare. Redibo ad te, & tuos, cla-  
rissime juvenis ! Mactus sis DEI gratia, & vir-  
tute: mactus strenua currendi, in ecclesiæ sta-  
dio, voluntate. Servet DEus serenissimum  
principem tuum, toti evangelico cœtui, ge-  
stum in oculis : quem ad omnem laudem natu-  
ra genuit, disciplina regibus digna erudit, mul-  
torumque annorum, in temperanda patriæ ha-  
bena, firmavit consuetudo ! si, quanta benefi-  
cii divini, in principe pio, justo, magna-  
nimo, nec à tuis alieno sacris, magnitu-  
do sit, mente complecti velis : nulla, ne maxima  
quidem, ut exprimas, ingenii præstantia; unus  
vero CAROLI WILHELMII, gratus ad-  
spectus, cumulate sufficiet. Servet DEus ecclesi-  
am tuam; servet antistites; servet patronos; ser-  
vet iterum Te, cum omnibus charitatibus. Va-  
le, dab. Tub. ipsis divi Thomæ feriis, 1736.

PRÆFA-



DE  
**UNITATE**  
DEI.



*Q. D. B. V.*

## PRÆFATIO.

*LECTORI CANDIDO ATQUE BENEVOLO SALUTEM, A DEO OMNIS SALUTIS FONTE UBERRIMO!*

Xhibentur Tibi Lector benevole atque Candide ! studiorum meorum primitiæ, quas, si placebit, serena tamen placidaque fronte, delibare potes. Posterius thema ad elaborandum mihi fuit præscriptum, prius ipse elegi. Evidem fateor, quod de rebus materiisque substratis fusius atque prolixius, ne dicam eruditius, agere potuissim; At, primo tecum consideres velim, non Systema aut Compendium, sed epitomen tantum de iisdem sistere Tibi, animo a me fuisse decretum ; secundo haud ignotum Tibi erit tritum ultra vires neminem obligari ; ut adeo majoris eruditionis specimen ab alio me Doctiore expectare obligeiris. Objicis forsan, me Wolffiana securum principia nimis esse atque Leibniziana : Ad hoc respondeo, me nulla fovisse principia nisi sanioris philosophiæ, adhortationemque Paulinam observasse πάτερα δοκιμαζόντες Καλὸν Κατέχετε. Si forte citra Intentionem vitia quædam irrepserint, probenig-nitate B. L. ipse corrigas. Ceterum favori ac benevolentiæ Tuæ etiam atque etiam me commando. Vale Dab, Duriaci D. XIX. Cal. Jan. MDCCXXXVI.

§. I.

§. I.

**A**nimus nobis est agere de *Unitate Dei*: Ut ergo eo melius res hæcce menti oculisque fistatur, ac veritas hujus Divini Idiomatis eò luculentius apparet, haud injuste actum erit, si sub initium, tam de historia Controversiæ circa hanc materiam ortæ, quam etiam de Existentiâ Essentiaque Divina paucula quædam adponemus.

§. II.

Nulla enim excogitari fere potest materia, tam Philosophica quam Theologica, de qua tum prioribus cum etiam recentioribus temporibus non fuisset controvrum, ita ut eò insania hominum sit prolapsa, ut partim de existentia Dei, vel Diaboli, vel spirituum, partim vero quod vero quod vix credibile, de existentia sui ipsius non solum dubitaverint, sed & errorem huncce rigorosissime & pertinaciter defenderint, inque alias propagarint. Quod genus hominum præcipue sub nomine *Materialistarum* atque *Idealistarum*, fuit cognitum; Inter quos Arthurus Collier Anglus Tractatum edidit, de nova investigatione veritatis qua demonstratur non existentia vel impossibilitas mundi externi, Londini 1713.

§. III.

Hinc mirum non est, quod in tanto hominum numero atque confluxu stulti quidam stultam ineptamque foverint sententiam *plures uno dari Deos*, imo totæ Gentes olim errore hoc fuerint obrutæ, quæ non solum æri vel Cœlo *Jovem*, Oceano seu Mari *Neptunum*, Igni *Vulcanum*, Inferno *Pluronem*, Bello *Martem* aliquem præposuerint, sed & unicuique arti Deum suum adfinixerint, ut taceant de cæteris innumeris Gentilium Diis.

## §. IV.

Non vero solum Gentiles totvenerati sunt Deos, verum etiam inter eos, qui Christianorum cœtui annumerarunt se, fuerunt quidam perniciosi ac malitiosi homines, qui principiis suis nefariis veritatem dell*Unitate Dei* oppugnare sunt conati. Ad quos præcipue pertinent a.) *Manichei*, à Manete sic dicti, qui duplex statuerunt principium Independentis omnium rerum; unum *bonum*, quod *lucem*, alterum *malum*, quod *tenebras* vocarunt, & V. T. tanquam à malo principio proveniens repudiarunt de quo vid. *Augustinus Lib. XV. contra Faustum, & de Hæres. Cap. XLVI.* Quorum Parens atque antecessor fuit *Simon Magus*, quem Lucas Act. VIII. 9. memorat, de quo etiam videre est *Justini Matyris Apolog II. Irenæus Lib. I. Cap. XX. & XXX.* Cujus Asseclæ deinde *Simoniani* sunt dicti. b.) Huc referri possunt *Peratae*, quorum *Theodoreetus*, græcus Ecclesiæ Doctor, gente Syrus, Episcopus Cyrenensis *Lib. I. Cap. XVIII.* mentionem facit, qui Trinitatem *tres Deos, tres mentes, tres rationes* esse contenderunt. c.) *Johannes Philoponus* à Studiorum assiduitate sic dictus, grammaticus & Philosophus circa initium seculi VII. clarus, cui *natura & Subsistētia* unum idemque fuit, ideoque in Trinitate *tres etiam naturas* statuebat, seu *tres hypostases*. d.) *Tetraheitiæ*, qui præter *tres hypostases* Divinas *quartam aliquam essentiam* statuerunt, que *omnibus tribus effet communis*, iisdemque se communicaret, vi cuius communicationis *Dii fierent*. Imo quid dicendum de Pontificiorum nugis: inter quos Medicus quidam Italus, *Franciscus Josephus Borchius* adeo ineptus fuit, ut *Mariam quartam Deitatis personam* constitueret haud erubuerit.

## §. V.

## §. V.

Pari modo circa *existentiam Divinam* controvertitur, pro qua variæ quidem vulgo producuntur argumenta, quorum haud rejiciendum puto illud Cel. Wolffii à *Contingentia rerum* desumptum. Ens enim *Contingens* jam supponit ens *necessarium*; Cum vero omnia ea quæcunque videmus in mundo, entia contingentia esse experientia edoceamus; necesse est, ut ens aliquod necessarium adsit, à quo entia hæc contingentia dependeant: *Contingens* quippe dicitur id quod rationem existentiæ suæ non in se ipso sed in alio habet, quemadmodum ens *necessarium* quod rationem existentiæ suæ in se ipso habet. De quibus vid. Wolffii Metaph. pag. 928. seqq. Ex qua Idea Entis *necessarii & independentis* omnia attributa Divina facile deduci possunt, ex quibus deinde doctrina de *unitate s. unicitate* Divina eo clarius innotescit; De quo attributo *unicitatis* scil. seorsim jam agemus.

## §. VI.

Quæstio ergo hic oritur, num (Et specifico Et numerice) unicus tantummodo sit Deus, num vero plures esse possint alii? Ad quam solvendam, rem hancce per tractare nobis proposuimus secundum tres gradus cognitionis nostræ, Possibilitatem nimirum Probabilitatem & Certitudinem, & denique ostendemus vim atque robur cuiuslibet argumenti pro unitate Dei vulgo è Philosophis allati.

## §. VII.

Quoad I.) Possibilitatem igitur hujus doctrinæ, primo definitio Possibilitatis nobis est ponenda: *Possibile* scil. dicitur id, quod non involvit contradictionem; jam vero supposita hac definitione quilibet videt, contradicitorum non esse *DEum esse & unicum esse*: *Possibile ergo est DEum esse unicum*.

A 3

## §. VIII.

§. VIII.

II.) Ad *Probabilitatem* hujus doctrinæ quod attinet, varia afferuntur argumenta, quibus veritatem hujus doctrinæ evincere conantur; quæ præcipue in sequentibus consistunt,

§. IX.

1.) Sufficit ad hoc mundi sistema producendum, *unicus DEus*, neque opus est plures statuere, quia in unico DEo causa efficiens sufficiens reperitur. DEus enim est sapientissimus, ergo DEus & natura (tanquam effectus DEi) nihil faciunt frustra, ergo neque in Divinitate ipsa frustranea locum habere possunt; atqui supervacaneum esset atque frustraneum, si plures Dii adessent (unus enim sufficit) ergo DEum unicum esse patet.

§. X.

2.) Si plures essent Dii, aut singuli essent independentes, aut alias ab alio dependeret: Si hoc; DEus dependens non esset DEus: sin istud; haberent singuli extra se aliquid, à se non dependens, quod ipsis decesset, ideoque non essent Dii. Vis argumenti hæc est: Deus est ens necessarium ac independens, hinc ratio omnis existentiæ in ipso est querenda; quod excludit omnes alias independentes, ergo non concipi potest Deus dependens, Deus enim dependens est contradic̄tio in adjecto; Hinc Deum unicum esse necessario sequitur.

§. XI.

3.) Deus est ens perfectissimum, ergo non alias datur perfectissimus, notio enim perfectissimi entis omnia alia excludit: quia tantum unicus dici potest perfectissimus, ergo Deus est unicus; Quæ probatio unitatis non indiget ulteriore illustratione, quoniam satis evidens est atque clara.

§. XII.

4.) Deus est omnipotens; ergo si duo essent omnipotentes: aut alter alterum destruere posset aut non posset; si hoc, tunc hic non esset omnipotens; sin istud, tunc iste non esset omnipotens, ergo unicus tantummodo datur omnipotens.

## §. XIII.

5.) DEus est omnipræsens, hinc si duo essent Dii, quorum unusquisque propriam haberet essentiam, neuter posset esse omnipræsens, unus enim alteri cedere, sequie in suam essentiam includere deberet, quod esset absurdum: Hinc unicum omnipræsentem esse appetet. Vim atque robur suum argumentum hoc haurit ex immensitate Dei, secundum quam Deus omnia implet, secundum Jer. XXIII. 23. non tamen circumscriptive neque definitivæ sed repletive de omnipræsencia hoc est explicandum, ita ut nullus locus excogitari queat, in quo Deus non reperiatur.

## §. XIV.

6.) Si uno plures essent Dii, aut æquales inter se essent, aut inæquales, si inæquales; ille qui altero esset inferior non posset proente inde pendente haberi, sin æquales; nullus plane Deus esset, cum unus alteri obstareret; unde sequeretur, neutrum entis omnium perfectissimi nomen mereri.

## §. XV.

7.) Adducitur argumentum à Cognitione Gentilium desumptum: Inter quos præcipue citatur illud Lactantii, Institut. Div. Lib. I. Cap. VI. pag. 40. seq. ὁ δὲ Θεός εἴη, ἀδέσποτος καὶ πρωτότοτος. οὐ γάρ ἂν αὐτούς. DEus unus est, & quia unus, nomine non indiget; est enim qui existit anonymous: Nec non Platonis Ep. 13. ad Dionys. se (scil. Platonem) in epistola sua initium facere à DEo unicō:

Ut

Uti & quod *Trismegistus in Pæmandro dicit*, *varios vocari DEos non natura ratione, sed honoris causa.*

§. XVI.

8.) DEus est ens perfectissimum; ergo quæcunque perfectiones prædicantur de Creaturis, ea in gradu eminentissimo de DEo dici possunt; DEus vero quoque est ens sapientissimum, ergo nihil sine ratione & summa sapientia facit; est quoque summa benignitate præditus atque misericordia, ergo creaturas non potest non omnibus perfectionibus, entibus contingentibus convenientibus, ornare; Atqui in mundo principium indiscernibilium locum habet, quod ergo etiam in Deitate gradu tamen eminentissimo, & absque omnimateriali conceptu locum habet.

§. XVII.

Probabilis dicitur res, si cogitatio mea ita cum ea convenit, ut mihi, num opposita propositio vera esse possit, dubium aliquod remaneat: Probabilitas vero definiri potest, quod sit ratiocinium, quo propositionem aliquam ut veram admittimus, quia cum re aliquo modo convenit, ita tamen, ut cum formidine oppositi sit coniunctum; Cùm igitur recensuimus argumenta pro unitate DEi, quæ inter probabilia posuimus, nostrum nunc erit, rationes vel dubia in altera parte occurentia etiam adducere. Res enim non ex parte dijudicanda, sed tota res consideranda, & secundum illam judicium nostrum est componendum, si illud in reliqua suppeditare volumus.

§. XVIII.

Quod igitur primum arguamentum, quod scil. ad mundum producendum unus DEus sufficiat: R. Neque contradictionem involvere si plures adessent, id enim certitudinem hujus asserti nondum evincit, si dicatur, sufficit

sufficit unus DEus: ergo est unus DEus. Deinde nondum constat, supervacanei aliquid in Deitate deprehendi, si plures essent Dii, possent enim plures ad hanc Deitatem pertinere. Quoad argumentum tertium, distinguimus inter perfectionem philosophicam & inter grammaticam: In sensu grammatico concedimus, in sensu philosophico enim perfectissimum dicitur id, quod omnes perfectiones possibilis possidet; & hac ratione omnino duo entia mihi concipere possum, quae omnes perfectiones possident.

### §. XIX.

Argumentum quintum quod attinet, omnis res reddit ad materiam de *loco*. Quæ vulgo à philosophis & præfertim Scholasticis subministratur definitio *loci* nimis mihi erat, essentiæquæ spiritus minus videtur conveniens. cum scil. locus illis est certum quoddam  $\pi\tau$ , aut spaciū, in quo ens aliquod includitur. Si vero *locum* definimus, quod sit *modus ceteris conjunctim coëxistendi*, nihil erit quod non sub definitione hac comprehendatur, reteque exinde colligimus, omne ens esse in loco. Deinde sæpius confundunt inter se *locum* & *situm*; Situs vero dicitur locorum circumiacentium inter se comparatio. Idem fere error commititur in doctrinia de omnipräsentia Divina, quam ex Immensitate DEI derivant, de qua itidem confusas atque obscuras habent ideas: quando scil. DEum immensum dicunt, quoniam non possit mensura æstimari, neque ulla locorum terminis includi; ex qua definitione falsò concludunt, ergo DEus in omnibus locis præsens esse debet, hæc enim definitio vel cuique Spiritui etiam convenient, & mihi quidem declarat, quid immensitas Dei consistit, nihil vero de re ipsa explicat, vel potius DEum tanquam maximum aliquid corpus mihi sistatque extensem. Nos vero immensitatem Dei nihil aliud esse ducimus:

B

quam

quam illud attributum, quo Deum ita consideramus, ut nullius rei perfectiones cum divinis ad observandum aliquem inter eas gradum comparari possint : Omnipræsentia itaque hac ratione neutiquam ex Immensitate Dei profluit, sed potius ex omniscientia & omnipotencia Dei est deducenda : Deus quippe est omniscius, ergo scit ubi, quid, & quomodo sit agendum, est vero etiam omnipotens, ergo omnia quoque facere potest possibilia & quidem ubique locorum. Cum vero ex effectu cognoscatur præsentia cause : patet inde omnipræsentia Dei ; Ut adeo omnipræsentia sit perfectissima coniunctio virium cum creaturis omnibus ad cognoscendum atque operandum in iis. Ex quibus clarum est, unitatem Dei ex omnipræsentia demonstrari non posse.

## §. XX.

Neque ista §. XV. sententia descripta ita est comparata, ut aliquis de unicitate Dei convinci per eam possit : semper enim dubium remanet, Gentiles cognitionem istam hausisse ex revelatione Judæis facta, atque ab ipsis inter Gentiles propagata.

## XXI.

De cæteris vero argumentis sequentia sunt observanda, ex quibus patebit neque istos majorem quam *probabilitatis* attingere gradum : Deus est ens perfectissimum atque bonum summum, ergo se ipsum præcipue & maxime amare debet, ergo sibi ipsi contrarius esse nequit, sed potius harmoniam perfectionum suarum ipsum observare oportet, id quod sanctitas ejus appellatur ; Ergo si harmoniam observat perfectionum suarum, eandem etiam in voluntate sua observare debet ; Ergo, si plures essent Dii, etiam istos inter se harmoniam observare possibile esset,

set, ita ut neque potentia istorum sit contra voluntatem, neque voluntas contra potentiam, ut nec velint plus quam possint, nec possint plus quam velint. Adeoque si dicatur, Deum non posse alterum destruere, aut non posse alteri obstat, aut non superiorem esse, idem etiam de voluntate sit dicendum, quod scil. neque velint fibi obstat, quod non velint se invicem destruere, neque unus altero superior esse, sed ambo velint esse æquales.

### XXII.

Ultimum denique argumentum §.XVI. productum quod attinet, concedimus omnino, principium istud Indiscernibilem ab Illustri Leinizio, magnum sane eruditio-  
nis profundæ specimen, ortum ducens, in hoc mundo valore suo atque fundamento non esse destitutum, sed potius experientiæ innixum, sed negamus ab isto princi-  
pio concludi posse ad unicitudinem Dei. Quid enim creatu-  
ræ cum creatore suo, nisi quod ab ipso dependeant, habent  
neque ulla alia prorsus concipi potest relatio inter eos.

### §. XXIII.

Superest ut III.) Certitudinem dè hac materia inve-  
stigemus. Satis superque ex hac tenus dictis appareat, ho-  
minem nefarium, Gentilem, Polytheum atque minus  
credulum iis argumentis quæ vulgo pro unitate forman-  
tur, de ea convinci prorsus non posse, nisi majus istis at-  
que stringentius accedat demonstrationis pondus. Hoc  
vero partim e ratione supplendum, partim ex sacro co-  
dice tanquam omnis veritatis fonte est hauriendum, cu-  
jus authentia hic supponenda. Evidem argumenta an-  
tecedentia e ratione petita ideo non sunt rejicienda, sed  
potius insignem contra adversarios nostros præbent usum,  
si doctrinare eodem atque diverso è Metaphysica bene ex-  
plícata

plicata juxta ea ponatur. Ut igitur reni eo clarius inspiceret liceat, paucula quædam de ea adjiciemus. *Idem* dicitur unum prorsus non mutatum : Eadem vero dicuntur entia, si in uno omne est quod in altero reperitur, Hinc si nobis concipiamus duo entia eadem (qualia §. XXI. suppositimus) nullo modo differre possunt nisi numero, & sic sunt unum idemque, si enim plane eadem sunt secundum omnia attributa, omnesque perfectiones, tunc etiam secundum existentiam, quæ etiam est perfectio, eadem esse debent, unum enim alias eandem existentiam haberet quod alterum, & tamen differret ab altero, quod esset absurdum, ergo ens à se, necessarium, Inde pendens atque infinitum i. e. Deus est ens unicum.

## §. XXIV.

Huic autem Veritati consentit scriptura sacra in omnibus fere paginis : Præcipue vero κατὰ τὸ πνεῦμα reperitur a.) Deut. IV. 35. b.) Deut. VI. 4. audi Istraël, Jehova DEUS noster, Jehova unus est, ubi non solum vocabulum *Jehova*, tanquam nomen DEI proprium & essentiale extat, sed & omnes reliqui Dii excluduntur. c.) Joh. XVII. 3. ὅταν γίνωσκοι εἰς τὸν μέτρον ἀληθείαν Θεόν : ubi Christus Patrem solum verum Deum vocat, ut eum ab omnibus falsis Diis distinguat (non vero ut se ipsum atque spiritum sanctum excludat, sed totam Divinitatem in Patre sistit) qui etiam d.) Rom. XVI. 27. & I. Tim. I. 17. vocatur *Solus Rex immortalis sapiens inhabitans lucem inaccessibilem, invisibilis.* e.) I. Cor. VIII. 6. f.) Eph. IV. 6. g.) I. Joh. V. v. 7. ubi non solum unitas Dei sed etiam tota Trinitas quasi in compendio nobis sistitur. Qui quidem locus à fociinianis non genuinus, sed insertus textuique introductus sed falso habetur. Negari quidem non potest, in quibusdam antiquioribus exemplaribus eum non reperiri, neque etiam

etiam in primis N. T. versionibus, Syriaca nempe Arabica atque Aethiopica, qui ideo neque à Patribus quibusdam primitivæ Ecclesiæ, Irenæo scil. Clemente Alexandrino atque Athanasio allegatur, cum tamen egregie illis in servire potuisse contra adversarios, postquam dicta quædam ex hoc ipso capite sumiserunt, solo hoc omisso. Ita etiam à Luthero in prima N. T. versione fuit omissus : Attamen necesse esse illum adesse, clarum est 1.) è Contextu atque Connexione cum §. 8. 9. & 10. 2.) reperitur in antiquissima aliqua versione Italica, quæ Sec. II. in lucem prodit. 3.) à Tertulliano atque Cypriano Sec. IV. ante Controversiam cum Arianis ortam allegatur. 4.) Hic locus inversione quadam N. T. Sociniana, anno 1630. Cracoriæ edita, videri posse fertur. Ceterum de quibusdam quidem Exemplaribus T. N. dici potest, locum hunc partim negligentia describentium parrim malitia hostium veritatis fuisse omissum atque exculptum, non tamen à particulari hic concludendum ad universale, ac si ideo omnia Exemplaria essent corrupta. De quibus V. S. V. D. Consiliar. Eccles. Bürcklinus noster Pfortzemensium p. t. Superintendens Specialis, in scripto quodam peculiari, scite, plene atque erudite scripsit. Ex quibus omnibus evidenter constat, DEum non unum esse *Specifice*, quod scil. alia individua sub se comprehendere possit, sed *numerice*, ita ut omnes alias DEOS, non tamen pluralitatem personarum excludat, utpote quæ etiam ad hanc unitatem pertinet, uti ex dicto Johanneo patet, ubi non sine sufficiente ratione in genere neutro est positum.

## §. XXV.

Addemus aliqua de Usu hujus doctrinæ : Hoe  
B 3 enim

enim attributum nos dehortatur partim ab omni  
Idololatria, tum craffa, de qua Rom. I. 23. quam sub-  
tili, de qua Jerem. XVII. 5. & Subtilissima, Philipp. III.  
19. (in quo usus hujus attributi didascalicus consistit)  
partim nobis commendat studium τον ενος, de quo Matth.  
VI. 24. Luc. X. 41. 42. Philipp. III. 14. Id quod usum  
pedenticum perficit. De quibus vid. Longii oecono-  
mia Salutis Dogm. p. m. 47. De usu Elenchitico atque  
epanorthotico plura differere possemus, sed quia mate-  
ria partim nimis est prolixa, partim vero magis ad sug-  
gestum quam ad Cathedram pertinet, pedem hic  
figimus, Deoque gratias persolvimus  
æternas.



DE

DE  
BAPTISMO  
INFANTUM  
NONDUM PLANE ET IN-  
TEGRE IN LUCEM EDI-  
TORUM

Oder  
von der Fioth-Gauff unvollkom-  
men gebohrner Kinder.

J. N. J.

## C A P. I.

## TRACTATIO PRÆLIMINARIS ATQUE HISTORICA.

§. 1.

**M**Ateria substernitur satis controversa, de Necessitate Baptismi infantum nondum perfecte & integre in lucem editorum; quæ in omnibus fere casibus ab Eruditis evolutius reperitur allegata; Præcipue vero quæstio hæc Pontificios inter atque Nostrates, fuit ventilata: Quorum isti rigorose necessitatem absolutam hujusmodi Baptismi defenderunt atque adhuc defendunt, ita ut in sententia sua eo abierint, ut ute-rum in quo infans inclusas jacet, aqua aspergant, infantemque uti putant, baptizent: ut taceam jam de superstitione illo ritu compansas baptizandi, iisque nomina imponendi.

§. 2.

De novo autem circa hanc materiam item nostratis bus moverunt Pontificii, cum in Ecclesia Silesia efficerint, ut speciali quodam mandato Cæsareo Augustanæ Confessioni addictis fuerit mandatum, ut tales infantes nondum perfecte natos, si digito saltem attingere eos possent, baptizarent: Tota vero res uti in historiis s. Actis sic dictis Ecclesiasticis inveni recensitam, ita se habet:

§. 3.

Romanæ Catholicæ Ecclesiæ addicti Clerici certiores facti, Lutheranos infantibus hujus generis sacrum baptismum denegare, coram Tribunali Imperatorio Wratislavia constituto, querebas de his instituebant, à quo porro ad Tribunal Wohlaviense haec res est de voluta, Quo facto Wohlaviense Tribunal Wratislaviensi in mandatis dabat, quo Aug. Conf. Ministros eo adigant, ut hos

hos suos conatus ex Augustana Confessione ejusque Apologia dilucide probarent; sin minus incumbere illis, ut hujus generis infantes sacro baptismatis fonte sine ulteriori subterfugio tingerent. Ab Aug. Confessioni addictis, ex Lutheri, aliorumque nostratrum Theologorum testimoniis, deductioni strenue factæ, refutatio ex parte Papæorum, sic dicta solida, fuit oppыта: cui deinde speciale istud mandatum de quo §. præc. mentio facta, successit.

### CAP. II.

### TRACTATIO DOGMATICA.

#### §. I.

**N**Ostrum jam est ut in rem hancce inquiramus; ut vero eo melius hoc succedat, primum de natura & indole Baptismi paucis erit agendum, qua idearecte formata, statu controversiae posito atque restricto principiisque huc pertinentibus præmissis, eo facilius de securitate dexteritateque sententiæ circa hanc materiam capienda, judicare licebit.

#### §. 2.

Baptismus vulgo à Theologis definitur, quod sit *Sacramentum N. Test. à Deo institutum, in quo soli Omnes homines aqua ablui debent, in nomine DÉI Triunius, eum in finem, ut regenerentur & renoventur ad solutam eternam.* Quam Definitionem igitur & hic nostram jam facimus. In scripturis autem illam esse fundatam, patet ex sequentibus earundem locis e. g. Matth. XXVIII. 19. Joh. III. 5. Tit. III. 5. Eph. V. 26. Luc. VII. 30. Joh. I. 33.

#### §. 3.

Deum nos creasse, nosque conservare, quilibet qui Christo nomen dat suum, facile admittit; hinc Dominium in

in nos exercere, & præscribere nobis potest quid faciendum sit, quidve omissendum, actuque istum hoc facere ex eo patet, quod voluntatem suam circa actiones nostras nobis revelaret in decalogo; Qui vero hoc facit, dicitur Imperans, ergo Deus imperans noster merito dicendus. Ubi vero imperans, ibi subditi, cum vero Deus noster sit imperans, nobisque revelaverit voluntatem suam circa actiones nostras, sequitur exinde nos Dei esse subditos. Subditi vero vitam actionesque instituere debent secundum voluntatem imperantis, hinc & nos secundum voluntatem Dei vivere oportet, idque servare quod DEus nobis præcipit.

## §. 4.

Quod DEus præcipit illud est servandum (§. præc.) Deus vero præcepit ut homo baptizetur, (§. 2.) ergo hoc est servandum.

## §. 5.

Deum esse ens summum, necessarium atque independens, demonstrare hic necesse non duco, sed tanquam suppositum à quolibet Christiano concessum, assumo: Cum Ethnicis enim nobis jam res non est, neque cum Atheis, contra hos enim potius evolvere jubemus Büttneri cursum Philosophicum, in Theol. Nat. pag. 387. seqq. it. Wolffii Theol. Nat.

## §. 6.

Deus est ens necessarium (§. præc.) ergo & immutabile, ergo & perfectissimum, ita ut omnes perfectiones in summo gradu atque simul possideat; Hinc non potest non esse summe benignus atque misericors, (& hæc enim sunt perfectiones) quod etiam ex definitione perfectionis claret, quæ est relatio, qua res ita est comparata, ut finis illius impetrari possit; finis autem Dei in hac relatione est felicitas nominum, quia secundum bonitatem ipsius omnes homi-

homines ad felicitatem creavit, quod tum ex experientia, cum ex desiderio perpetuae felicitatis, omnibus hominibus innato, & denique ex fine revelationis, aliisque luculententer constat.

## §. 7.

Felicitas summa constat in coniunctione cum summo bono (p def.) Hominem vero aliquando cum summo bono arctius fuisse coniunctum, ab ipso autem eundem esse divulsum, tum ex summa DEI benignitate (§. præc.) tum ex miseria ejus (p exp.) luculentissime vero ex ipso sc. sacræ scripturæ fonte videre est. Deus quippe noster est imperans, (§. 3.) hinc hominem transgressor legum suarum etiam vi iustitiae suae, punire debuit quod factum esse experientia proh dolor! corroborat. Cum autem etiam sit summe misericors (§. præc.) non poterat non hominem ex miseria sua liberare, illique media praescribere atque ostendere, per qua cum bono isto summo iterum coniungi queat; meram autem aggratiatio ob iustitiam locum non habet, hinc non nisi per satisfactionem fieri id potest: Hoc vero rationi sibi relata modo incomprehensibili per Christum, factum esse scriptura testatur. Ut autem homo satisfactione hac à Christo praestita frui queat, requiritur ut sibi meritum Christi attribuat, hoc autem fit per fidem, ergo *fides est medium salutis necessarium atque absolutum*, & praeter hoc non datur aliud medium absolutum.

## §. 8.

Christus homini lapsi media acquisivit per satisfactionem suam quibuscum DEO uniri rursus possit, (§. præc.) E. & fidem, tanquam medium salutis absolutum, (l. c.) Hinc quia non vult mortem peccatoris Ezech. XXXIII. II. Infantibus usū rationis expertibus fidem cum anima statim indere credimus.

## §. 9.

Deus est omnipotens (§. 6.) ergo varia fidem in homine accendendi constitutere potest media, ideoque variis quoque modis hominem beare potest, quod vero ita fieri debet, ut harmonia perfectionem Divinarum observetur: Ex revelatione autem videmus, Deum duas homini lapso ordinasse vias, quibus fidem in eodem excitare intendit, Verbum scil. & Sacra menta. Deus porro est ens liberum, (§. 6.) hinc nullum datur medium absolutum hominem salvandi per fidem, sive fidem in illo accendendi, ita ut non detur aliud, vel ac si Deus non libertatem haberet aliud eligendi, omne igitur medium praeter fidem non absolute necessarium, sed ita comparatum esse debet, ut, si circumstantiae objecti beandi id non permittant, aliud applicari possit. Sufficit enim Deum esse summe benignum atque misericordem (§. 6.) ut ideo non huic vel illi medio praecise sit alligatus, sed pro potentia sua absoluta, etiam sine mediis homini fidem largiri possit, & pro benignitate atque misericordia etiam velit, si subiectum beandum non capax sit mediorum salutis ordinariorum. Quoniam vero Deus semel ordinavit media verbi atque Sacramentorum hinc omnibus hominibus, qui istis capaces sunt, incumbit, ut iisdem ad salutem suam utantur, (§. 4.) Deus enim noster est imperans atque Dominus, nos vero ejusdem subditi, (§. 3.) hinc non solum leges nobis praescribere, sed & transgressores legum suarum, atque contemtores voluntatis suae poenis affligere potest, imo vi Justitiae etiam debet; Et hoc respectu omnino verbum & sacramenta fiunt media salutis absoluta, sed hypothetice tantum absoluta, sub conditione scil. contemptus.

## §. 10.

Voluntas nostra nihil appetere potest, nisi prius ab intellectu sit cognitum, hinc apparent tritum istud, ignoti nulla

nulla cupido. Per experientiam porro edocemur, nos nil nisi bonum (ab intellectu ita cognitum) appetere & velle; malum vero, aversari. Ex quibus claret, voluntatem semper in naturalibus dependere ab intellectu. *Imputatio* porro dicitur, ea relatio, qua quis auctor & causa actionis alicujus, voluntaria dici potest. Cum autem infantes *ufurationis*; non tamen *facultate rationali*, destituantur, (p. exp.) neque ita auctores & causae actionum suarum *voluntarie* dici possunt, secure concludimus, infantibus talibus actiones suas imputari non posse, quia neque *scienter* neque *volenter* agunt. Non enim omnes actiones sunt imputabiles, sed eae saltem, quas *scienter* & *volenter* aliquis peragit, (p. def.) Non igitur illae quas alter, neque illae, quas quis usū rationis destitutus committit, Hinc videre est, cur dicatur, *non privationem*, *sed contemptum baptismi* *damnare*,

## §. II.

*Pactum Deum* cum homine iniisse à nobis jam supponitur, & quidem ita, ut omnes homines, atque ita etiam infantes, sub Adamo tanquam Capite federali comprehensi, ad pactum hocce observandum obligentur, & hinc etiam laetio hujus pacti iisdem imputari queat. Quae laetio pacti Divini cum homine initi, ejusdemque imputatio & pena sub titulo *peccati originalis* nobis in theticis sc. s. innixis sistitur. Quando vero de contemtu baptismi sermo est, non agitur de imputatione peccati originalis, sed de imputatione peccati actualis, ad quam requiritur plenarius rationis usus. (§. præc.)

## §. 12.

Finis est intentio, qua causa aliqua libera bonum aliquid obtainere capit. Cum igitur bonum obtainendum in baptismō sit hominum salus; (§. 2.) recte hæc finis baptisi

C 3

tismi dicitur, isque primarius, atque ultimus. Cum vero usus s. bona obtainenda varia esse possint, quæ iterum fiunt media ad aliud bonum obtainendum; patet hinc, unus rei plures esse posse fines; Hinc *fides, regeneration & renovation recte fines baptismi* dicuntur, *intermedii & proximi*, qui rursus ut media adhibentur ad alium finem, scil. salutem hominum obtainendam.

§. 13.

Quia omnes homines lapsi sunt, qui olim ad imaginem Divinam erant creati, Hiob. XIV. 4. Cap. XV. 14. XXV. 4. Prov. XX. 9. &c. & misericordia Divina ad omnes homines pertinet, (§. 6.7.) hæc vero misericordia Divina respectu ad homines vocetur gratia, Rom. XII. 3. 6. XVI. 24. recte hinc *gratia* hæc dicitur universalis.

§. 14.

Gratia Dei est universalis, (§. præc.) ergo omnes homines salvari debent; Cum vero causa agat propter finem, (§. 12.) & nullus finis obtineatur sine mediis, nisi per potentiam Dei absolutam; (§. 8. & 9.) ergo omnes homines medio salutis uti oportet. Cum vero medium salutis sit *fides in Christum* (§. 7.) omnes quoque oportet credere in *Christum*; Et quia fidem homo consequitur per regenerationem & renovationem, hanc vero per verbum & Sacra menta; (§. 9. & 12.) ad omnes ergo etiam homines, mediorum horum capaces, (§. 9.) hæc media pertinent.

§. 15.

Gratia Dei & media salutis ad omnes homines pertinent, (§. præc.) cum vero infantes etiam sint homines, ergo etiam ad Infantes pertinent, ergo & infantes baptizari debent. Homo autem constat ex corpore organico & anima rationali, ergo hæc duæ partes conjunctim adesse debent. Et cum omnes & soli homines sint baptizandi (§. 2. omnes & soli homines *subjectum quod baptismi recte*

recte dicuntur. Cum vero ad salutem obtinendam requiriatur fides, (§. 7. & 12.) fides autem consistat in *notitia*, ut homo beatus meritum Christi cognoscat; *Affensu*, ut credat, rem quam credere debet, veram esse; & *Fiducia*, ut meritum Christi ad se applicet, atque in illo acquiescat; haec vero sint operationes *anima*, præsertim vero *Intellectus & Voluntatis*; ergo in specie anima & quidem Intellectus & Voluntas est *subjectum quo Fidei.* conf. Rom. X. 10. seqq.

§. 16.

Ex dictis §. præc. patet, *subjectum quod baptisini esse hominem, & quidem solum, (§. 2.) constantem ex anima rationali & corpore organico;* Hinc etiam evidenter constat, quid de quæstione nostra; *num infans non integræ, sed ad partem aliquam tantummodo natus, sit baptizandus?* habendum sit. Ut autem rem eo melius intropiscere queamus, status controversiae à nobis recte arteque est restringendus.

§. 17.

Quæritur nimirum: Num *absolute fit necessarium* tales infantem à Parentibus Christianis nondum plane & integre, sed ad partem tantummodo in lucem editum, in casu necessitatis atque in periculo mortis constitutum, ita tamen ut de certitudine vitæ constet s. convicti simus, sacro baptismatis fonte ablueremus? an vero, si hoc negligetur salute æterna talis infans privetur? Non ergo hic quæritur, num *licitum* tantum sit hujus generis infantes baptizare? Neque etiam quæstio versatur circa *Infantes à gentilibus Parentibus natos, sed Christianis.* Ad hanc autem quæstionem respondemus cum omnibus Ecclesiæ Evangelicæ Doctoribus Theologis, Negando, & quidem ex rationibus subsequentibus.

§. 18.

## §. 18.

Potissimum quidem Theologorum nostratium argumentum haud ita firmo stat aut saltem videtur stare talo, ut everti non possit, quando scil. ita argumentantur : *Quicunque debet regenerari, prius debet generari, prius atqui infantes debent regenerari, ergo antea illos esse, necesse est.* Si enim in Adversiorum castris essem constitutus, ad argumentationem hancce responderem, Regenerationem relationem propriam non habere ad generationem naturalem & carnalem, sed ad imaginem Divinam in homine restaurandam. Instas forsan : Hanc restorationem imaginis Divinæ locum habere non posse sine prægressa nativitate. Ad hoc respondeo β.) subjectum quod baptismi esse hominem, constantem ex anima rationali & corpore organico ; (§. 15.) Cum igitur & hoc in infante nondum integre nato deprehendantur; cur illis baptismus denegari debeat, me non videre. Ast cum baptismus non sit absolute ad fidem in homine excitandam necessarius, (§. 9.) Deus porro sit summe misericors; (§. 6.) idcirco fidem, tanquam medium salutis absolutum, (§. 9.) immediate in infantibus talibus (§. præc.) sacramentum hocce non contemnentibus (§. 10.) excitare potest & vult, præcipue cum partim preces in Ecclesia publice pro ijsdem fundantur, quas Deus exaudire promisit, Luc. XI. partim vero non privatio sed contemptus damnet, (§. 10.) utpote quæ non ex istorum fit culpa (§. cit.) ut adeo nullum de salute eorum remaneat dubium. Distinguimus autem hic inter id quod necessarium & inter id quod licitum est, neque legibus diuinis contrariatur. Absolute necessarium non esse, tales infantes baptizari, ex dictis satis constat, idem tamen licitum esse, omnino statuimus, ex rationibus hactenus, & præcipue §. 15. seqq. adductis. Sed cum decorum ubique sit observandum, fomes

fomes vero peccati in omnibus hominibus adhuc lateat; merito omitti posset hic labor, aut saltem obstetricibus relinquī, in his casibus præsentibus atque proximis. Quis enim non novit, Papæ Ecclesiae Clericos, plerosque homines esse libidinosos, qui actiones tales committere omni decoro contrarias, non erubescant?

§. 19.

Et haec videtur esse ratio, cur in ordinibus ac statutis Ecclesiasticis, præcipue vero Saxonis, talis baptismus non permittatur. e. g. in Sanct. Eccles. Elect. gen. art. Lib. 6. Cap. Von der Noth-Tauffe, ibi: Demnach dann die H. Tauffe ein Sacrament der Wiedergeburth ist, so erforderet die Natur dieses Sacraments, daß das Kind, so das Sacrament der Wiedergeburth empfangen soll, zuvor an die Welt gebohren sey. Eadem fere verba leguntur, in der Weym Kirchen-Ordnung Lib. II. Cap. 12. §. 1. & Ordin. Eccles. Hassens. Tit. von der Noth-Tauffe, in Verbis Was weiter. ic, & Nieder-Sächs. Kirch. Ord. fol. 171. ibi: zum fünfften muß ic. conf. Braunschw. Kirch. Ord. fol. 69. in verb. Sondern solche Leibes-Frucht.

CAP. III.

TRACTATIO POLEMICA.

§. I.

**C**ontra hanc nostram sententiam Pontificiaë Ecclesiæ Doctores varia proferre, atque necessitatem baptismatis sacri absolutam evincere conantur. Præcipue vero circa subjectum baptismi versantur dubia istorum, sententiaë nostræ contraria. Ita ut subjectum baptizandum partim *uterum maternum*, partim *Campanas*, partim vero etiam *hujus generis infantes*, quos §. 16. Cap. præc. descripsimus, & hoc ultimum quidem absolute constituant.

D.

stituant.

stituant. Sed quod ad uterum maternum atque compansas attinet, ex §. §. 2. & 15. Cap. II. facile videri potest, *subjectum quod baptisni*, hæc esse neutiquam posse. Ad intentiam vero suam de Infantibus modo dictis baptizandis, stabiliendam, sequentia proferunt argumenta.

## S. 2.

I.) Quod ajunt, Subjectum baptismi esse omnem & solum hominem vivum, ab Adamo descendentem, nondum baptizatum, quique possit (NB.) *in corpore suo tangi aqua baptismali*; atque hoc istorum assertum auctoritate Doctoris Angelici Thomæ Aquinatis atque continua praxi veræ Ecclesiæ suffulciunt. Sed &c. n.) Ad ideam subjecti baptizandi quod attinet, priores istius notas atque characteres, quando scil. dicunt esse omnem & solum hominem vivum, ab Adamo descendentem, nondum baptizatum, nos omnino concedere, quia cum scriptura convenient. Cum vero addunt: qui possit in corpore suo tangi aqua baptismali, hoc nimis videtur late esse dictum. Partim enim hoc non necesse erat adjici, hoc enim jam supponitur, ut quis aqua baptismali tangi possit: partim vero ne iota quidem de hoc in textu sacro reperitur, ex quo tamen definitio baptismi defumi debeat, atque hoc modo sensum scripturæ Adversarii inferunt, quod tamen fieri non debet. In verbis enim institutionis scribunt baptismatis Matth. XXVIII. 19. nihil legitur nisi hæc verba: περιθύσας ἐν μαθητεύσατε πάντα τὰ θηρία βαπτίζοντας αὐτούς. K. t. A. Ex iisdem vero concludere nullo modo licet, egressionem infantis non expectandam esse, aut si in actu moriatur, sine baptismo salvum istum ideo fieri non posse (§. 18. Cap. II.) Instant vero Adversarii cum dicto Johanneo Cap. III. 5. ἵνα μη τις γένηθη ἐξ ὑδατος Καὶ πνεύματος, καὶ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Ast, si ea animadventent Adversarii, quæ supra §. 7. & 9. dicimus, statim etiam responso ad hoc argumen-

gumentum illis suppeditabitur; Distinguimus enim inter necessitatem baptismi absolutam & Conditionatum, hypotheticam vero s. conditionatam non vero absolutam hic locum habere ex ll. cc. patet; Ut adeo neque hinc sequatur, infantem talem (§. 17. Cap. II.) ideo necessario esse baptizandum, neque totalem egressionem expectandam.  
2) Rejicimus omnem prorsus auctoritatem humanam, nisi verbo Divino innitatur, quod unicam controversiarum normam & Judicem esse certo est certius, & jam dudum à Theologis nostris contra Adversarios evictum; Quid enim nobis cum Ecclesiae Auctoritate, si Christo, unica ~~veritas~~ ~~veritas~~ Petra, destituatur atque fundamento?

§. 3.

II.) Secundum quod nobis formatur ab Adversariis dubium, in his sequentibus consistit; quando nempe dicunt: Quod praesentibus mediis ordinariis ad extraordinaria non sit recurrendum; atqui hoc esse medium salutis ordinarium, quando Deus per baptismum hominem salvum faciat, illud vero extraordinarium, quando Deus stante hac lege gratiae hominem extra baptismum invoto, cuius parvuli capaces non sint, atque ita extraordinario medio sine baptismi Sacramento salvaret, ergo neque ad illud medium extraordinarium esse recurrendum, sed inhaerendum magis baptismio Sacramentali, oder der Noth-Tauffe. Sed & Distinguendo, inter media salutis ordinaria Applicabilia & inter media salutis ordinaria non Applicabilia; atque ita limitando majorem Adversariorum: Concedimus nimirum, quod praesentibus mediis ordinariis subiecto baptizandi Applicabilibus ad extraordinaria non sit recurrendum, (§. 9. Cap. II.) negamus autem, quod Deus praesentibus aut positis mediis ordinariis (s. posita lege Evangelica, ut dicunt,) subiecto baptizando inapplicabilibus, ad extraordinaria media recurrere non possit.

possit. (§. 9. Cap. II.) Deus quippe omnes homines salvos vult fieri, 2. Pet. III. 9. & §. 13. Cap. II. ergo etiam tales salvos esse capit, qui medii salutis ordinarii Capaces non sunt. Si igitur per viam ordinariam finis à Deo intentus scil. salus hominum non impetratur, neque medium ordinarium applicari potest; Deus propter misericordiam (§. 6. Cap. II.) necessario viam atque medium extraordinarium applicare debet. Non igitur statim ad baptismum Sacramentalem oder die Noth-Tauffe est recurrendum; quod quidem non prorsus prohibitum, non tamen absolute est necessarium. (§. 18. Cap. II.)

## §. 4.

III.) Tertium argumentum ab Adversariis contra preces pro infantibus talibus in Ecclesia ad Deum T. O. M. fusas, est directum. Quando dicunt; Sicuti non recte sequatur, Ecclesia orat pro peccatoribus, ut veram poenitentiam agant, pro benefactoribus nostris ut iis Deus semper bona retribuat, itemque pro infirmis ut feliciter moriantur, &c. ergo omnes peccatores agere veram poenitentiam, ergo omnes benefactores nostros consequi bona sempiterna, &c. ita neque hic sequi: Ecclesia infantes tales offert Deo, ergo ejusmodi infantes, si moriantur ante baptismum salvati: At quæ, qualis, quanta comparatio? qualis conclusio ab adultis ad infantes? à specie ad specimen? à particulari ad particulare? Alia enim sunt prædictata adulorum, alia infantum. Adultos mihi concipere possum, tanquam entia libertate aliqua gaudentia quæ Deo resistere possunt, ne effectum intentum consequatur, infantes vero nondum natos plenarie non ita, de illis enim tam intellectus quam voluntas, atque ita libertas hinc oriens non nisi in potentia prædicari potest. Alia porro sunt petitæ Ecclesiæ à Deo impetranda temporalia, alia spiritualia; Temporalia bona non nisi sub conditione à Deo petuntur, spiritualia

spiritualia vero absque conditione expetuntur à Deo atque impetrantur. Quando itaque Ecclesia orat pro peccatoribus, preces hæ ita comparatae esse debent, ne ordini salutis à Deo constituto contrariantur. Quis enim dubitare vellet, Deum non exaudire hasce preces, quoniam cum fine Dei convenient, (§. §. 2. & 12. Cap. II.) Si vero effectus à Deo intentus non completerur, culpa non cadit in Deum, sed in hominem Deo contrariantem & operationibus gratiæ resistentem; In ejusmodi autem infantibus nulla adhuc reperitur resistentia, Nullum itaque remanet dubium, quin Deus preces Ecclesiæ ad se pro iustis fusas, neque salutis ordini contrarias, exaudiat. Deus enim per misericordiam suam (§. 6. Cap. 12.) hunc constituit apud tales infantes ordinem salutis, ut immediate fidem in iis, nisi alter fieri queat, accendat. (§. 8. Cap. præc.)

## §. 5.

IV.) Quarto, contra sententiam nostram disputatione Adversarii, quando dicunt: Quod baptismus successerit in locum circumcisionis, jam vero ex loco Gen. XVII. 14. ita argumentantur: Si masculi cuius præputii caro circumcisæ non est, anima delebitur de populo suo, neque promissionum Divinarum capaces sunt non-circumcisi, sed circumcisi tantum, baptismus vero successit in locum circumcisionis, sequitur, & in N. T. promissionis capaces esse solos baptizatos, incapaces vero non-baptizitos, ergo etiam omnes non baptizatos damnari, quoniam phrasis hæc *excidi de populo suo*, æternas poenas indicit. R. Ad hoc argumentum quod attinet, concedimus omnino baptismum successisse in locum circumcisionis, concedimus etiam promissionis capaces fuisse solos circumcisos, & esse adhuc solos baptizatos, non tamen exclusis iis, qui sine culpa sua baptismio carere debent, (§. 10. & 18. Cap. II.) concedimus porro per phrasim istam *excindi è populo suo*,

æternam indicari damnationem : sed quid inde ? Num ex-  
 inde probatum est , per incircumcisos intelligi eos , qui  
 ante diem octayam sunt mortui ? Nonne hoc modo Deus  
 fieret injustus , si eos ideo damnaret , quoniam præcepit ,  
 ut die octava demum circumcidarentur , eos vero discedere  
 ante hoc tempus ex hac vita fineret ? Num inde probatum  
 jam dederunt Adversarii , per circumcisos eos intelligi , qui  
 sine propria eorum , sed ex parentum malitia atque culpa  
 Sacramento hocce Div. foederali frui non potuerunt : Con-  
 trarium sane docuerunt atque monstrarunt B. Lutherus in  
 h. l. Chamier in Panstrat. Cath. T. IV. L. III. C. III. Gerhard-  
 us in h. l. & in primis celeberrimus Ecclesiæ nostræ Do-  
 tor Seb. Schmidius in Tr. suo eruditissimo de circumcisi-  
 one p. m. 177. seqq. quo cum & supra dictis viris doctis  
 consentientes itaque dicimus , intelligi masculos adhuc intra  
 Ecclesiam s. populos suos viventes , qui postquam octa-  
 va die quacunque de causa aut quocunque casu circumcisi  
 non sunt , circumcisionem ipsi negligunt atque contem-  
 nunt . Hoc velle verba : *Cujus præputii caro non circum-  
 cидetur* : ab eodem pluribus & fusiis est monstratum p.  
 178. seqq. rationes ejusdem potissimum in sequentibus  
 consistunt . 1.) scil. cum dicat יְהוָה præputiatus , esse præ-  
 dicatum , cuius subjectum sit זְכִיר Masculus , qui scil. cir-  
 cumcisus non sit . 2.) In hac autem latitudine hoc accipi  
 minime posse , quoniam h. m. masculus infra octiduum ,  
 qui nondum esset circumcidendus , comminationi invol-  
 veretur . Ut itaque hoc modo 3.) is masculus sit intelli-  
 gendus , qui post diem octavam circumcisus non sit . Quod-  
 que 4.) Excisionis comminatio indicetur , si deinceps non  
 circumcisus fuerit . Verba ejus decisoria p. 183. tandem  
 hæc sunt : jam dico quandoquidem ejusmodi infanti exci-  
 sio non denuntiatur , ex eo statim fundamento , quia octa-  
 ya die circumcisus non est , sed si sequenti tempore cir-  
 cumci-

circumcisus non fuerit, utique sequitur, quod istius excisio-  
nis reus non sit, quamdiu in eo statu fuerit, in quo fuit  
octavo die, h. e. quamdiu rationis nondum est compos &  
circumcisionem sibi procurare non post. Nam si reus  
esset antequam tempus illud attigit, quæ ratio dari potest,  
quare non ab ipso octavo statim die reus factus sit? Quare  
cum excisio suspensa sit ab eo, qui post octavam diem  
non circumcidetur, utique ita intelligenda est, si postquam  
procurare sibi circumcisionem potuisset, non procurave-  
rit. Hæc vir doctus Seb. Schmidius. Quæ omnia optime  
conveniunt cum eo quod supra diximus, §. 10. seq. Cap. II,  
Accedit, quod verba: quia *pactum meum irritum fecit.*  
requirunt usum rationis, qui in infantibus nondum repe-  
ritur; Ut adeo his præmissis satis constet, eandem esse rati-  
onem in nostra quæstione de Baptismo ejusmodi infantum,

§. 6.

V.) Quintum & ultimum denique Adversiorum du-  
biū quod contra fidem hujusmodi infantum formatur, ita  
sese habens: Vel credunt intuitu & fide propria, vel aliena,  
aut per habitum infusum; propria non, ob debilitatem  
ætatis, huicque annexam incapacitatem, quod clarum  
est; neque aliena, præter baptismum, quia hæc deberet  
esse Ecclesiæ, sed non est, Ecclesiæ fides enim non nisi per  
Sacramentum fidei, perque januam, quæ est baptismus,  
Ecclesiam intrantibus, prodeesse potest. sed R. a.) Falsissimum  
esse, Infantes credere fide aliena; Ut taceam enim verba  
prophetæ Habac. Cap. III. 4. dicentis: Justus sua fide vivit.  
§. 15. Cep. præc. vidimus ad fidem requiri notitiam, Assen-  
sum & fiduciam; quomodo igitur alius pro me, notitiam  
assensum & fiduciam habere potest? Non ergo aliena fide  
frui quis potest, sed s.) Propriam igitur fidem infantes ha-  
bere

berē oportet; Apud infantes vero mediis accipiendi fidem ordinariis minus capaces, Deus pro benignitate & misericordia sua (§. 6. Cap. II.) media extraordinaria applicare debet, ut supra jam monuimus. Accedit quod Davides dicit. Psal. VIII. 3. Ex ore infantum atque lactentium præparasti tibi laudem: Nec obstat, quod hoc modo omnes creaturæ dici possent laudare DEum, quia finis creationis fuerit gloria DEi: Hæc enim ipsissima verba allegata invenimus à Christo Matth. XXI. 16. ubi apparet de laude vera ibi sermonem esse, ex fide proveniente, quia sine fide impossibile est placere Deo, Heb. IX. 6. Secure ergo exinde colligimus, fidem in lactentibus DEum accendisse. Patet etiam exinde, in talibus casibus fidem sine baptismo adesse posse, non tamen ordinarie, sed modo prorsus extraordinario, ad quod Christus etiam respexisse videtur, quando Marc. XVI. 16. ait: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, novo vero in antithesi: qui vero non credideri neque (NB.) baptizatus fuerit, damnabitur sed tantum: qui non creditur, is damnabitur.

§. 7.

Sufficient hæc pro scopo nostro. Fxit supremum Numen, ut omnia prodeant in sui sanctissimi nominis gloriam, per Dominum nostrum JEsūm Christum, cui sit honos & gloria in secula seculorum  
Amen.

F I N I S.




DD A 6334



E0 - Shri  
Jahr. 01

Thi. 44



**Farbkarte #13**



B.I.G.

*Exer. 7.2. Oct. 6.*

EXERCITIA PHILOSOPHICO-THEOLOGICA  
DUO, HORIS FERIATIS ELABORATA.

**UNUM  
DE UNITATE  
DEI,  
ALTERUM  
DEBAPTISMO INFANTUM  
NON DUM PLANE ET INTEGRE  
IN LUCEM EDITORUM,**

Oder  
**Son der H o f h - G a u f f e  
unvollkommen gebohrner Kinder.**

AUCTORE  
ANDR. ADAM. HITZIGIO.  
P. T. VIC. MINIST. DURL.

TUBINGÆ,  
Typis ANTONII HENRICI ROEBELI,  
A. MDCCXXXVII.